

nes in Dictaminum primorum, quibus convenire actus debent, explicemus; adeoque non sufficit, nostro scopo dicere; Actum convenire dictaminibus jam factis, qualia tantum sunt principia proxima humanorum actuum. Fortasse tamen non inutile erit id annotare, verè affirmari posse, omnes actus bonos seu virtutes perfectè & essentialiter consentire cum notione, seu Ideâ agentis rationalis, cujus Ratio in Prudentiam jam adoleverit, quò naturaliter tendit. Prudentia enim intrinsecè includit & finis optimi, maximiq; quem cujusque facultates respicere possunt, volitionem; & ejusdem per media efficacissima prosecutionem. Finis autem maximus est commune omnibus rationalibus agentibus Bonum, & consensus omnium in mutua auxilia ad id obtinendum, est medium illius obtinendi efficacissimum. In actibus autem hujusmodi consensum consequentibus omnis Religio, & virtus continetur: præsumere autem licet etiam ante pacta inita, quòd consentient omnes hunc esse finem maximum, atque hoc unicum esse medium planè necessarium, quia actuum humanorum ad opem mutuò ferendam nulla præter consensum voluntatis esse potest causa. Itaque si hujusmodi dictamina Rationis (quæ dum in memoria reponuntur ad actus nos determinant) inter principia interna actionum humanarum numeremus, (quod quidem meritò fiat quoniam totam essentiam & vim habituum in se continent) tum rectè & secundum ea quæ tradidimus, dici potest, id omne esse justum quod cum his principiis ac Legibus Naturæ rationalis consentit.

§. III.